

derit à bimati et infra, usque ad illud tempus quo stella Magis apparuit; nam non occidit natos post apparitionem stellæ; quia nullus eorum poterat esse ille quem Magi quesiverant, quique die quadragesimæ à suâ nativitate fuerat secundâ februarii in templo oblatus.

Nec refert Herodem quoque scivisse quod nullus bimulorum, aut natorum ante annum posset esse Messias: Quia hoc non obstante, poterat pro astutissimâ suâ crudelitate cogitare quod Magi non exacte ipsi indicassent tempus apparitionis stellæ, vel quod stella non fuisset visa à Magis à primo die quo Christus erat natus; præsertim cum ipse jam ab anno à Judæis esset recognitus et salutatus rex Judæorum; quod erat tempus notatum in prophetiâ Jacob, Gen. 49, v. 10, quo debebat venire Messias.

His ad potest, et dicit cum S. Thom. 3 p., q. 56, a. 6, ad 8: « Ideo autem non solum himos pueros interfecit, sed etiam infra, quia ut Aug. dicit in e quodam sermone Innocentium, timebat ne puer, cui sidera famulantur, speciem suam paulo supra ætatem, vel etiam infra transformaret. »

Obj. 1<sup>a</sup>: S. Thom., loco jam citato, postquam retulisset sententiam eorum qui dicunt stellam Magis primò apparuisse, cum Christus natus est, subiungit: « Et secundum hoc, Herodes non statim recedens à tubis Magis, sed post biennium pueros interfecit; vel quia dicitur interim accusatus, Romam ivisse, vel aliquorum periculum terroribus agitatus, à curâ interficiendi puerum interim destitisse; vel quia potuit credere Magos fallacis stellæ visione deceptos, postquam non invenièrent quem natum putaverunt, et erubuisse ad se redire, ut Aug. dicit in libro de Consensu evangelistarum. » Ergo juxta D. Thomam Herodes non interfecit pueros nisi biennio post nativitatem Christi.

Ad hoc argumentum P. Graveson aliique Thomiste communiter respondent S. Thomam non dicere quid ipse sentiat, sed tantum aliorum referre opinionem, quam nequidem examinat, multò minùs approbat, ut patet ex eo quod diversas referat opiniones, et relatâ ultimâ dicat: *Et secundum hoc, Herodes non statim, etc.* An hæc responsio sit satis solida, omnemque difficultatem qua hic circa mentem D. Thomæ moveri posset, penitus tollat, linguo iudicio lectoris. Interim, quidquid sit, dici posse videtur quod S. Thomas id assuerit, quia putavit admodum probabile esse quod Herodes post adventum Magorum Romam iret. Sed cum nunc inter omnes eruditos, et in historia versatos conveniat quod tertium et ultimum iter Herodis Romam, contigerit ante Natale Christi, ut probat noster Norisius, dissert. 2 de Cenotaphiis Pisanis, et ex ipso Graveson, dissert. 8 de Mysteriis et Annis Christi; idèd dici nequit, quod Herodes distulerit infanticiidum ad biennium post nativitatem Christi, quia videlicet tunc Romam ivit.

Obj. 2<sup>a</sup>: Herodes occidit filium suum Antipatrum quintâ die ante mortem suam, ut habet Josephus

lib. 17 Antiq., cap. 10. Ergo etiam tunc tantum occidit infantes.

Prob. conseq. ex Macrobio, auctore ethnico, qui, lib. 2 Saturnalium, cap. 4, hæc habet: « Cùm audisset Augustus, inter pueros quos in Syriâ Herodes rex Judæorum intra biennium jussit occidi, filium quoque ejus occisum, ait melius esse Herodis porcum esse quam filium. »

Resp. Neg. conseq. Et ad verba Macrobi dico, et inter non debere ibi sumi, quasi Antipater fuisset unus inter istos pueros, nam ipse jam grandis erat; sed quod ipse etiam occisus sit. Unde Macrobius tantum videtur insinuare quod Herodes fuerit adeo crudelis, ut non modò infantes Bethlehemiticos, sed etiam proprium filium occiderit. Deinde Macrobius tantum refert narrationem illorum qui illam Herodis scvitiam narrabant Augusto, et utramque eadem, utpote jam peractam, simul conjungebant.

#### QUESTIO II.

Undenam Christus nomen NAZAREUS habuerit.

Post mortem Herodis Joseph cum Mariâ et puero Jesu ex Ægypto reversus est in terram Israel, atque secessit in partes Galilee, et veniens habitavit in civitate, que vocatur Nazareth; ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: *Quoniam Nazareus vocabitur*, Matth. 2, v. 23. Circa hæc verba movetur questio, unde Christus habeat nomen illud *Nazareus*; an à civitate Nazareth, an à dictione hebraicâ *nasar*, que significat *separare*, et unde et Nazareus significat *separatum* seu *sanctum*. Ante resolutionem

Nota quod, si dicitio hebraica *naser* scribatur per *zain*, id est, per *z*, significet *sanctum*; si vero scribatur per *tsade*, id est, *t* (ut nomen civitatis Nazareth, quod debet scribi *Nasareth*) significet *floridum*. Volunt ergo aliqui quod Christus dicatur *Nazareus* per *zain*, id est, *separatum* seu *sanctus*. Alii è contra prætendunt quod nomen illud derivetur à voce *naser*, et idem significet quod *floridus*. Utramque sententiam admittit S. Hieron., in cap. 2 Matth., dicens: « *Nazareus sanctus interpretatur*. Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. Possumus et aliter dicere, quod etiam eisdem verbis, juxta hebraicam veritatem in Isaï scriptum sit: *Exiit virga de radice Jesse, et Nazareus de radice ejus ascendet.* »

Resp. et dico: Probabilius videtur quod nomen *Nazareus* derivetur à voce *naser*, et consequenter quod Christus non sit vocatus *Nazareus* ex eo quod esset *Nazareus* secundum legem, quales fuerunt Sanson, Samuel, et alii; sed quod à civitate Nazareth nomen Nazareus principaliter desumpserit.

Prob. 1<sup>a</sup> Quia Matthæus dicit: *Habitavit in civitate Nazareth: ut adimpleretur, etc.* Atqui non debebat habitare in Nazareth, ut vocaretur *Nazareus* secundum legem, id est, *sanctus*; nam ubicumque habitabat, tali modo poterat esse *Nazareus*, ut patet Numer. 6. Ergo Christus dictus est *Nazareus* à civitate Nazareth, in qua habitavit.

Prob. 2<sup>a</sup>: Nazareus secundum legem, debebant abstinere ab omni potu qui inebriare potest; atqui Christus non abstinent à vino et similibus; ergo non fuit talis Nazareus.

Prob. 3<sup>a</sup>: Quia Isaïas prædixit Christum futurum *florem Jesse*; ait enim cap. 11, v. 1: *Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet*. Item Zacharie 5, v. 8, et cap. 6, v. 12, vocatur *Oriens*, hebraicè habetur *tsenach*, id est, *germen*; quia Christus fuit quasi *germen* florescens omni genere virtutum et honorum. Ergo Christus dicitur *Nazareus* à *naser* scriptum per *tsade*.

Idem putant nonnulli etiam patere ex titulo crucis, qui Romæ asservatur, ubi *Nazareus* scriptum est per *tsade*. Sed à Lapide dicit se illum titulum diligentissimè inspicisse, et litteras adeo esse exesas, ut distinguere non possint.

Dices 1<sup>a</sup>: Omnes Evangelistæ scribunt *Nazareus* per *z*, non per *ts*; ergo Christus nomen illud, *Nazareus* non desumpsit à civitate Nazareth.

Resp. Neg. conseq. Nam cum nec Græci, nec Latini habeant istam litteram *tsade*, et sit quoad sonum eadem cum *zain*, idèd scripsit per *z*: Unde etiam sic scripsit Nazareth.

Dices 2<sup>a</sup>: Matthæus dicit: *Quod dictum est per prophetas*. Atqui nullus propheta prædixit Christum appellandum *Nazareum* à civitate Nazareth, cum nequidem semel de illâ civitate fiat mentio in toto veteri Testamento: sed omnis Scriptura prædicit Christum futurum sanctum, ut Daniel 9, v. 24: *Ut unguatur Sanctus sanctorum*, scilicet Christus. Psal. 151, v. 18: *Super ipsam autem efflorebit sanctificatio mea*. Unde et angelus ad Mariam Luce 1, ait: *Quod nascetur ex te Sanctum*.

Resp. Licet prophete apertis terminis non prædixerint Christum appellandum *Nazareum* à civitate Nazareth; tamen hoc satis insinnaverunt, dum prædixerunt eum futurum *floridum*, seu appellandum *Nazareum* à *naser* scriptum per *tsade*; siquidem in hoc supposito potest appellari *Nazareus* à civitate Nazareth. Interim utraque sententia potest conciliari dicendo quod in Christo fuerit sanctitas, ut dicit Psalms supra citatus; adeoque quod fuerit *floridus* et *sanctus*, seu *floridus* omni verâ et reali sanctitate.

#### QUESTIO III.

An Christus parentes suos reprehenderit, diâ ab eis inventus fuit in templo.

Dum Christus factus erat annorum duodecim, cum parentibus suis ascendit Jerosolymam in die solemni Paschæ, ibidemque parentibus se subduci, à quibus anxie questus, post triduum invenitur in templo. Cum autem mater ejus (Luce 2, v. 48) dixisset ad illum: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te*, respondit Christus, v. 49: *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his, que Patris mei sunt, oportet me esse? Existimat Calvinus verba hæc esse reprehendentis; additque quod D. Virgo à Christo jure merito reprehensa fuerit. Verum cum nulla in D. Virgine fuerit culpa: nec*

etiam in Christo ulla fuit ejus reprehensio. Unde dicendum est, quod illis verbis Christus parentes instruat, consoletur, et factum summ excuset, quasi diceret: Non opus erat ut me quæreretis, quia cogitare poteratis, me negotia salutis mundi, ad que à Patre coelesti missus sum, inchoando tractare: non enim semper vobiscum manebam, sed ubi mea missio exigeret, vobis relicto, coelestis Patris jussa exsequi debebam. Non igitur ego dedi vobis causam doloris; sed illam vobis dedi partim magnus vester amor erga me, partim ignorantia hujus mysterii.

Subdit autem evangelista Luce v. 50: *Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos*. Nonnulli, quia putant Mariam, utpote gratiâ plenam, omnia novisse mysteria, hanc ignorantiam referunt ad auditores, qui, v. 47, stabant super prudentiâ et responsis Christi. Alii referunt ad solum Josephum per synecdochen. Verumtamen plane tam ad Mariam quam ad Josephum referenda sunt; licet enim nõssent illum esse Christum Dei Filium, et Salvatorem mundi; tamen ignorabant quâ ratione illud munus obiturus esset, seu quâ illa essent negotia Patris in particulari, in quibus ipse dixerat oportere se versari. Unde non plene sciebant, an, quomodò, quando, etc., docturus, victurus, moriturus, et crucifigendus esset pro salute mundi: hæc enim à Deo nequidem ipsis revelata erant. Nec verò hoc detrahit perfectioni D. Virginis, aut Josephi, quæ plus in charitatis magnitudine, quam in fidei extensione consistebat. Nec etiam quidquam eorum, quod ad salutem ipsorum pertinebat, ignorabant.

Petes quomodò apud Lucam, cap. cit., v. 52, dicatur: *Et ipse Jesus proficiebat sapientia et etate et gratiâ apud Deum et homines*.

Resp. Inprimis Christus non crevit scientiâ beatificâ aut infusâ; quia utramque ab initio conceptionis suæ habuit tam plenam, ut augeri non potuerit. Deinde nec etiam crevit gloriâ et gratiâ habituali. Ita S. P. Aug., lib. 5 de peccatorum Meritis, cap. 29; S. Hieron. in illud Jeremiæ 51: *Femina circumdabit eum*, aliique citati ab à Lapide. Crevit ergo Jesus, primò sapientiâ experimentalî: nam tractu temporis plura expertus, majorem acquisivit experientiam. Hinc ad Hebr. 5, v. 8, de ipso dicit Apostolus: *Didicit ex his que passus est, obedientiam*. Secundò, quamvis non creverit sapientiâ et gratiâ habituali; crevit tamen actuali et practicâ: nam robur spiritus et sapientiam celestem quotidie magis et magis exercebat, etiam existens puer, ita ut in vultu, incessu, sermone, etc., semper majores actus modestie, maturitatis, prudentie, etc., ederet. Ita ergo proficiebat sapientiâ et gratiâ, quemadmodum sol ab ortu in meridiam progrediens claritate dicitur quocunque proficere non quod illa in se crescat, sed in effectu tantum; quia majorem lucem apud nos paulatim diffundit.

#### CAPUT VII.

Joannes Baptista, aspero vestitu et victu tenuissimo utens, incipit suum ministerium; penitentiam et baptismum prædicat. Ad ipsam plurimum confluit,

etiam Pharisæi et Sadducei, qui confitentur peccata sua, et ab ipso baptizantur. Tandem etiam Christus baptizatur, et cœli aperuntur; descendit Spiritus Sanctus super ipsum, et vox Patris auditur. Math. cap. 3 per totum; Marci 1, à v. 4 usque ad 11; et Luca 3, à v. 2 usque ad 18. Item ibidem v. 21 et 22.

QUESTIO PRIMA.

*De vitâ et baptismo S. Joannis Baptistæ.*

Math. 3, v. 1: *In diebus illis, quibus habitabat adhuc Christus in Nazareth, venit Joannes Baptista: ita dicitur ab officio divinitus delegato baptizandi poenitentes, et preparandi ad Christum Dominum, ut esset ejus præcursor, ne, si subito Christus et inexpectatus populo imparato se objecisset, facile repudiaretur.*

Vers. 4: *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos. Joannes itaque habebat vestem asperam, quia pili camelorum sunt asperi. Escæ autem ejus erant locustæ. Per locustas hæc intelliguntur animalia illa insecta, quæ saltando, et partim volando progrediuntur, quæque habent longiora retrò crura, per quæ salient super terram; prout describuntur Levit. 11, v. 21 et 22, ubi reputantur inter animalia munda et comestibilia. Unde S. Hieron., lib. 2 cont. Jovinian., ait: « Orientales et Lybia populos, quia per desertum et calidam eremi c vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis c vesci moris est. Hoc verum esse Joannes quoque c baptista probat. »*

*Et mel sylvestre; scilicet quod ab apibus sylvestribus in foraminibus petrarum, arborum, etc., collocatur; quod in Palestinâ etiam non rarum est, ut patet ex historiâ Samsonis, Judic. 14, v. 8, et Jonathæ filii Sathil, 1 Reg. 14, v. 26.*

Quidam hæretici per locustas intelligunt caneros marinos, quibus, quamvis contra legem Levit. 11, v. 9, Joannes tamen evangelicâ libertate vesceretur. Sed hoc est manifestè falsum, partim quia ista libertas evangelicâ est omnino ficta; partim quia Joannes hæc laudatur ab austeritate vite. Sed manducare caneros non est austerè vivere; ergo, etc.

Sunt alii qui per locustas intelligunt summitates quarundam herbarum, quæ à Græcis vocantur locustæ. Sed nec hoc videtur verum, cum dicitio illa locusta nullibi in Scripturâ significet herbas, sed ubique animalia parva et insecta satis nota.

Baptismus Joannis, de quo hæc agitur, erat à Deo; id est, Joannes à Deo inspiratus illum instituit, sive prius introduxit. Patet hoc ex Evangelio S. Joan., cap. 1, v. 33, ubi Joannes Baptista de se ipso dicit: *Ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit, etc.*

Dices 1<sup>o</sup>: In hoc supposito ille baptismus non potuisset dici baptismus Joannis, sed debuisset dici baptismus Dei, sicut noster baptismus non est baptismus Petri, Pauli, etc., sed Christi.

Resp. Nego assumpt. Disparitas est quod licet ritus baptismi Joannis esset à Deo, tamen effectus ejus erat à Joanne, cum per illum non conferretur gratia, sed

totus ejus effectus esset nuda ablutio corporis. At verò noster baptismus dicitur esse Christi, quia effectus ejus seu gratia, quæ per illum confertur, est à solo Christo seu Deo.

Dices 2<sup>o</sup>: Omnis doctrina quæ de novo procedit à Deo, solet semper confirmari per miracula, ut patet in lege datâ in monte Sinai; item quando Moyses fuit à Deo missus in Ægyptum, Exod. 3. Atqui Joannes Baptista nullum miraculum fecit, ut constat ex Joan. 10, v. 4, ubi dicitur: *Quia Joannes quidem signum fecit nullum.* Ergo iste baptismus non erat à Deo.

Resp. Neg. consequ. Quia Deus dederat Joanni sufficientem auctoritatem sine miraculis, ut inde liquet quod Joannes officium suum non miraculis, sed auctoritate Scripturæ confirmaret dicens, Joan. 1, v. 25: *Ego vox clamantis in deserto.* Deinde cum baptismus ille non esset in præcepto, nec ad salutem necessarius, nec illum habens effectum spirituale, nec diu duraturus; non erat opus ut miraculis confirmaretur.

Petes 1<sup>o</sup>: Quo sensu dicitur Math. 3, v. 6, et Marci 1, v. 5, quod plurimi Judæorum venerint ad Joannem confitentes peccata sua.

Resp. Quod non tantum confessi sicut se esse peccatores, et volunt hæretici, sed quod exposuerint sigillatim peccata sua. Etenim cum non sit idem agnoscere se peccatorem, et confiteri peccata sua, recitè intelligimus eos sua peccata saltem majora recitasse et confessos esse Joanni, sicut Act. 19, nulli credentium dicuntur venisse ad Paulum confitentes et amittentes actus suos. Videntur autem præterea confessi peccata sua, qui ad Joannem baptizandi accedebant, quia baptismus Joannis erat externa quedam professio penitentiae; cui præinde conveniebat adjungi externam et vocalem peccatorum confessionem; eò maximè quod qui à Joanne baptizabantur, simul etiam quærenter consilium vite in melius commutandæ; ut expressè Lucas, cap. 5, refert; qui autem hujusmodi petit consilium, exponere debet actus vite præterite.

Petes 2<sup>o</sup> quomodo, Math. 3, v. 7, multi Pharisæorum dicantur accessisse ad baptismum Joannis, cum apud eundem evangelistam, cap. 21, v. 25, item apud Lucam, c. 7, v. 30, dicatur: *Pharisæi autem et legis peritii consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo, scilicet à Joanne.*

Resp. multos quidem Pharisæos à Joanne baptizatos fuisse, sed illi multi erant pauci respectu illorum qui baptismum Joannis recipere noluerant. Quales autem fuerint isti Pharisæi, item Sadducei, videri potest in Analogiâ Becani (vol. 2 *Curs. compl. Script. sac.*).

QUESTIO II.

*An Marcus in initio sui Evangelii recitè citet Isaiam prophetam.*

Marcus inchoans suum Evangelium à ministerio et prædicatione S. Joannis Baptistæ, ita habet: *Initium Evangelii Jesu Christi, Filii Dei. Sicut scriptum est in Isaiâ propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas faciet*

*semitas ejus.* Verba illa: *Ecce ego mitto angelum meum, etc.*, non habentur apud Isaiam, sed apud Malachiam, cap. 3, v. 1. Hæc verò: *Vox clamantis, etc.*, habentur apud Isaiam, cap. 40, v. 3. Quæritur ergo cur evangelista ex duobus conflât unum testimonium, et illud tribuat soli Isaiæ, cum tamen ambo prophætæ de Joanne vaticinati fuerint.

Si sola lectio Græca sequenda esset, facilè nodus solveretur; nam illa habet: *Sicut scriptum est in Propheta.* Et ita legunt Theophylactus, Euthymius, S. Irenæus, lib. 5, cap. 18, Cajetanus et alii. Unde aliqui putant nomen Isaiæ scriptorum vitio esse additum. Sed hoc dici nequit; quia contrarium constat ex Bibliis correctis, et textu Syriaco, in quibus nomen Isaiæ constantè citatur.

Dicendum igitur est quod totum testimonium quidem ex utroque prophætâ contextum sit, sed quod evangelista solum Isaiam nominet, quia erat prophætâ tempore prior et clarior; nam clarior prædicationem Joannis Baptistæ descripsit quàm Malachias; et ideo prophætâ Isaiæ magis ad intentum evangelistæ faciebat, quàm prophætâ Malachias. Insuper totum, quod habet Malachias de præcursore Domini, ipse Isaias alibi quidem verbis, sed eodem planè sensu prophetavit; ut videri potest loco Isaiæ citato.

Cum ergo evangelista principaliter instituisset afferre Isaiæ testimonium de Joanne, quemadmodum fecerat Mattheus, alibi interseruit et alterum aliterius prophætæ de eodem testimonium, quo prophetarum consonantiam ostenderet, et Isaiæ testimonium magis explicaret, ostenderetque quis esset, quem Isaias dixit clamaturum: *Parate viam Domini*, nempe quem dixit alter angelum Dei, qui pararet viam ejus. Ita Jansenius Gandensis, c. 15 Concordiæ evangelicæ.

QUESTIO III.

*Quo anno ætatis suæ Christus fuerit à Joanne baptizatus.*

In hæc questione multum inter se discrepant chronologi, et in multas vias abeunt. Sed inter omnes quæ de anno baptismatis Christi circumferuntur opiniones, tres hodièdum sunt famosiores; quarum una statuit Christum esse baptizatum anno 34 ætatis suæ per tredecim dies inchoato; altera vult eum baptizatum esse anno 30 completo, et 31 inchoato; ac denique tertia prætendit illum baptizatum esse anno 50 inchoato. Antequàm verò resolvamus quenam harum opinionum sit verisimilior, aliqua præmittenda sunt de epochâ imperii Tiberii Cæsaris. Itaque sit

§ 1. *Quoties detur epocha imperii Tiberii Cæsaris.*

Resp. dari duplicem, nempe initium ipsius imperii, quod vocatur *Augustæum*, quod incepit quando Tiberius, mortuo Augusto, solus fuit imperator; et initium ipsius imperii, quod dicitur *Proconsulare*, quando scilicet simul cum Augusto incepit imperare.

Però imperator Augustus mortuus est Nole, anno 14 æræ vulgaris, seu anno U. C. 767, Pompeio et Apuleio consulibus, die 19 augusti, postquam regnasset annis 37, mensibus 5 et 4 diebus.

Quod admitti debeat epocha imperii Augustei Tiberii, certum est et omnes admittunt; quod autem

etiam admitti debeat epocha imperii proconsularis ejus,

Prob. 1<sup>o</sup> ex Suetonio, qui, cap. 21 Annalium, ita de Tiberio scribit: *Dedicavit eodem Concordiæ, ac non c multò post (lege per consules latâ ut provinciæ c cum Augusto communiter administraret, simulque c censum ageret) condidit lustrum in Illyriæm profectus c est.* Item Cornelius Tacit., lib. 1 Annalium, cap. 1, dicit: *Filius (seu privignus Augusti Tiberius) collega imperii, consors tribunatibus potestatis assumitur, omnesque per exercitus ostentatur.* Ergo ejus imperium incepit ante mortem Augusti, adeoque admittendum imperium proconsulare.

Prob. 2<sup>o</sup> quia Velleius Paterculus, lib. 2, cap. 121, de Tiberio scribit *senatum populumque Romanum, postulatè patre ejus (Augusto) ut æquum è jus in omnibus provinciis et exercitiis esset quàm erat ipsi, decreto fuisse complexum.* Ergo ab illo tempore quo à senatu acceptus æquale jus cum Augusto, et i quo juxta illos auctores factus est collega imperii, inchoari potest epocha ejus imperii. At quo anno præcisè, et quo die factus sit collega imperii, ex illis auctoribus vix potest colligi.

Putant interim Graveson et nonnulli alii id confisise 28 augusti anni æræ vulgaris 10, quo anno Christus habebat annos ætatis 14.

Probant hæc suam opinionem ex eo quod Christus, dum baptizatus est, haberet 50 annos; baptizatus autem est anno secundo ministerii Joannis. Atqui Joannes incepit suum ministerium, teste Luca, cap. 3, v. 1, anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris; ergo imperium Tiberii proconsulare, de quo hic agit S. Lucas, incepit anno 10 æræ vulgaris: Nam si Christus des 14 annos, dum Tiberius habebat primum, et baptizatus sit anno 10 Tiberii, benè sequitur quod baptizatus sit anno 50 ætatis suæ; et retrogrediendo, benè sequitur quod Tiberius accepit imperium proconsulare anno 10 æræ vulgaris, 4 annis ante mortem Augusti.

Quod verò Christus baptizatus sit anno secundo ministerii Joannis, inde probant quod prædicatione Joannis notabili tempore videtur durasse, uti insinuant hæc Pauli verba, Act. 15, v. 25: *Cum impleverit Joannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego, sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calcementa pedum solvere.* Ergo jam notabili tempore baptizaverat, et jam impleverat cursum suum, dum Christus ad baptismum venit. Insuper juxta Lucam, cap. 3, Christus baptizatus est, baptizato ferè omni populo; atqui Joannes indignus facitè uno anno ad baptizandum omnem illum populum, et ad eundem instruendum, ac ad penitentiam vocandum; ergo, etc.

Interim Marcus Antonius Capellus, in dissert. de anno Passionis Christi, cap. 5, et Henschenius in Expositione veterum Catalogorum pontificum conatur demonstrare quod Tiberius imperium proconsulare adeptus sit anno 11 æræ vulgaris. Et qui vult hanc opinionem, dicere debet, quod Christus sit baptizatus anno primo ministerii Joannis, seu anno 15 imperii proconsularis Tiberii.

Ad fundamentum autem alterius opinionis responderi potest cum nostro Berti, et dici quod cum Tiberius imperium adeptus fuerit circa finem augusti, ab initio ministerii Joannis usque ad baptismum Christi sufficienti tempore interfluxerit, ut Joannes impleteret cursum suum, populum baptizaret, etc. Siquidem à septembri usque ad januarium, quatuor mensium decursu potuit Joannis nomen undique resonare, et ad Jordanis fluentia confluere maxima populi multitudo. Adde quod Joannes non universam Judæam, sed omnem duntaxat regionem Jordanis peragraverit; id est, omnia circa Jerichuntum campestris; ad eoque tempore quatuor mensium potuit cursum suum implere.

Quidquid sit de his duabus opinionibus, quoad substantiam rei seu questionem quam hic de anno baptismatis Christi tractamus, nihil aut parum interest an Tiberius imperium proconsulare adeptus sit decimo, an autem undecimo anno ære vulgaris.

*Solentur argumenta.*

Obj. 1<sup>a</sup>: Si Tiberius vivente Augusto fuisset imperator, Livia, mater Tiberii et uxor Augusti, non fuisset tam sollicita, ut Tiberio imperium procuraret: Illa enim, ut narrat Tacitus, lib. 1 Annalium, c. 3, mortuo Augusto, et Tiberio absente, scribis custoditis domum et vias sepsit, donec Tiberius advenit; ac tum simul excessisse Augustum, et rerum potiri Neronem fama tulit. Narrat etiam Suetonius in Tiberio, quod post mortem Augusti senatus rogaverit Tiberium, ut imperium assumeret, quodque illud assumpsit invitum, conquerens illud non esse nisi miseriam, et onerosam servitutem.

Item Tacitus, lib. Annalium, refert quod Tiberius senatui responderit: «Solum divi Augusti mentem et tante molis capacem; se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse quam arduum, quam subjectum fortunæ regendi cuncta onus; proinde et in civitate tot illustrius viris subnixâ, non ad unum et omnia deferrent; plures facilius munia republice et societatis laboribus executuros.» Hoc autem dicere non potuisset, si jam ante fuisset imperator. Denique iterum Tacitus, lib. 1, c. 6, imperium Tiberii, post mortem Augusti, vocat novum principatum.

Resp. Liviam fuisse ita sollicitam; et ex ejus consilio Tiberium omnia illa finxisse, ne imperium, quod vivente Augusto obtinuerat, jam amitteret: timebat enim ne Germanicus, qui erat senatui, populo et militibus gratus, ipsi præferretur; et inde modestiam simulabat, et animum à regnandi cupiditate alienum. De hac re ita scribit Suetonius in Tiberio, cap. 23: «Concedendi causa erat metus undique imminuentium et discriminum; ut sæpè lupum se auribus tenere diceret (Tiberius); nam et servus Agrippæ (quem Tiberius occidit jussu), Clemens nomine, non contemnendam manum in ultionem domini comparat: L. Scribonius Libo vir nobilis res novas clam moliebatur, et duplex seditio militum in Illyrico et in Germaniâ exorta est..... Quidam etiam principum et detrectabant non à se datum, summâque vi Germanicum, qui tum iis præerat, ad capessendam rem-

publicam perurgebant, quanquam obfirmatè resistentem..... simulavit Tiberius valetudinem, quo æquiore animo Germanicus celerem successionem, et vel certè societatem opperiretur.»

Quod verò Tacitus vocet ejus imperium novum principatum, nihil obstat: poterat enim vocari novum principatum, quia jam solus regnabat. Deinde potuit Tacitus ab illo tempore incipere initium ejus imperii, sicut aliqui initium imperii Augusti incoeperunt à victoriâ Actiâcâ.

Obj. 2<sup>a</sup>: Spartianus historicus in Adriano dicit quod Marcus Aurelius, et Lucius Verus fuerint primi qui simul imperatores fuerunt: De illis enim agens, ita scribit: *Hi sunt qui postea duo pariter Augusti primi rempublicam gubernarunt.* Ergo Augustus et Tiberius non fuerunt simul imperatores.

Resp. Dato antecedente, disting. consequ. Ergo Augustus et Tiberius non fuerunt simul imperatores ejusdem dignitatis et auctoritatis; concedo: inæqualis dignitatis, nego consequentiam. Unde Marcus Aurelius, et Lucius Verus à Spartiano dicuntur simul primi imperatores, quia fuerunt primi, qui æqualem dignitatem et auctoritatem habuerunt. Sed Tiberius vivente Augusto, non habuit dignitatem Augustæam; nam in urbe, imperii capite, se Augusto inferiori gessit, et minori præditus fuit auctoritate, quamvis extra Romam in provinciis et exercitiis haberet eandem.

Obj. 3<sup>a</sup>: Senatus, rogante Tiberio, detulit imperium proconsulare Germanico Drusi filio, ut testatur Tacitus, lib. 1 Annalium. Atqui tamen vi illius Germanicus non fuit imperator; ergo, etc. Similiter refert Dio Cassius, lib. 54, Vipsanium Agrippam obtinuisse potestatem tribunitiam; atqui tamen non ideò fuit imperator; ergo nec Tiberius vivente Augusto imperator fuit.

Resp. Neg. consequ. Nam imperium proconsulare Germanico concessum, fuit tantum pro quibusdam provinciis, scilicet pro illis, ut habet Tacitus, l. 2 Annalium, *quæ mari dividuntur.* Sed Tiberius habuit pro omnibus æquæ ac Augustus. Similiter Vipsanio non fuit collata potestas tribunitia illimitatè, sed tantum ad quinquennium, ut habet Dio: Tiberio autem collata fuit illimitatè. Deinde Germanicus habuit imperium proconsulare tantum, Vipsanium tribunitiam potestatem tantum; at Tiberius habuit utrumque.

Denique Tiberius vocatur à Tacito *collega imperii*, et à Velleio Paterculo, lib. 2, in fine, bis vocatur *imperator*, vivente adhuc Augusto; quod nomen nec Germanicus, nec Vipsanus unquam habuerunt; adeoque magna est inter ipsos disparitas.

§ 2. *Datur resolutio questionis supra propositæ.*

Resp. et dico: Christus Dominus baptizatus est anno ætatis suæ 30 ineunte, anno 12 imperii Augusti: Tiberii, imperii verò proconsularis anno 15 aut 16, anno 26 ære vulgaris, anno Juliano 71, U. C. 779, anno 2 olymp. 201, coss. Cornelio Lentulo Getulico, et Calvisio Sabino.

Prob. 1<sup>a</sup> ex Evangelio S. Lucae, cap. 5, v. 25, ubi de Christo jam baptizato dicitur: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Quæ verba tam clara sunt, ut non possint Christo plures anni attribui quam triginta, nisi detorquendo textum ad sensum, non tantum à mente antiquorum Patrum, prob. 5, citandum, sed etiam ab ipsâmet litterâ prorsus alienum.

Dices tamen 1<sup>a</sup>: Verbum, *incipiens*, non debet referri ad annum ætatis Christi, quando baptizatus est, sed ad ministerium Christi quando publicè incipiebat prodire et prædicare.

Resp. Neg. assumpt., quia, cap. 5 S. Lucae, non Christi prædicatio, sed ætas atque genealogia describuntur; et de prædicatione Christi tantum incipit S. Lucas agere cap. 4, v. 15; ac proinde *et incipiens* ad ætatem, non verò ad Christi prædicationem referri debet: nam si ad hanc referretur, à versu 25 cap. 5 divelleretur, et ad versum 15 cap. 4, violenter pertraheretur. Præterea in textu Græco non exstat illud tantum, *incipiens*, sed *incipiens existens*, ἀρχιστάς ὢν, quod ad ætatem, non ad ministerium referendum est. Unde Vatablus, Isidorus Clarius, et Erasmus vertunt: *Incipiebat agere annum trigessimum. Incipiebat esse annorum triginta.* Ita pariter habent alie versiones; nam Syriaca sic sonat: *Et Jesus erat quasi filius annorum triginta.* Æthiopica: *Et sufficiebat trigessimus annus Domino Jesu.* Persica et Arabica: *Et Jesus cœperat ingredi in trigessimum annum.*

Dices 2<sup>a</sup>: Particula *quasi* potest admittere aliquam temporis latitudinem. Sic Matth. 17, v. 1, et Marci 9, v. 1, dicitur Christus *post sex dies*, ab instituto scilicet sermone, transfiguratus; et tamen Lucas, cap. 9, v. 28, dicit: *Factum est autem post hæc verba fere dies octo.*

Resp. Licet particula *quasi* possit admittere aliquam temporis latitudinem; tamen eam non videtur posse admittere in textu supra citato: Quia S. Lucas non dicit quod Christus esset *quasi annorum triginta*, quando fuit baptizatus, sed: *Erat incipiens quasi annorum triginta.* Ubi cum *et incipiens*, ut jam probatum est, referatur ad ætatem Christi, omnem particule *quasi* tollit ambiguitatem, demonstratque Christum, dum ad baptismum venit, annum inchoasse trigessimum. Deinde, etiam aliquid quod particula *quasi* libertatem permitteret aliter addendi numero rotundo 50 annorum; inde tamen evinci nequaquam posset Christum fuisse baptizatum anno ætatis suæ 54 ineunte, sicut jam multi autumant recentiores chronologi: tantum siquidem latitudinem pati haud potest textus S. Lucae.

Prob. 2<sup>a</sup>: Joan. 2, v. 20, tempore primi paschatis à Christo celebrati, quod contigit tribus circiter mensibus post ejus baptismum, dixerunt Judei: *Quadragesima et sex annis edificatum est templum hoc.* Loquuntur autem de templo ab Herode reedificato, ut probabitur infra, cap. 10, quæst. 1. Atqui non in adversarium, sed in nostrâ sententiâ inveniuntur isti anni; ergo, etc.

Prob. min., quia Herodes, teste Josepho, lib. 15 S. S. XXIII.

Antiq., cap. 14, incepit templum reedificare anno decimo octavo regni sui; sive, ut inquit, lib. 1 de Bello Judaico, cap. 16, anno regni sui decimo quinto; id est, anno 15 à cæde Antigoni; anno 18 ab accepto regno à Romanis; ita enim nulla est in utroque textu contradictio. Jam autem ab anno 18 regni Herodis usque ad 56 exclusivè, inveniuntur 17 anni, quibus si addantur 29, quos tunc Christus tantum completè habebat, exsurgunt anni 46.

Prob. 3<sup>a</sup> ex antiquis Patribus. Inprimis Patres concilii Neo-Cæsareensis celebrati anno 314, can. 11, ita decernunt: *Nullus ordinetur presbyter ante annos triginta, etiamsi fuerit homo valde dignus; quia Dominus Jesus Christus in anno trigesimo et baptizatus est, et cœpit docere.* S. P. Aug., lib. 2 de Doct. Christ., agens de tempore, quo natus et passus est Christus, ita scribit: *Et annorum quidem fere triginta baptizatum esse, retinemus auctoritate evangelicâ.* Irenæus, lib. 2 adv. hæreses, cap. 22, num. 1; aliis, cap. 58, ait: *Salvator triginta annorum existens venit ad baptismum.* Eusebius, lib. 1 Hist., c. 10: *Quando jam ætatis suæ annum trigessimum agere incipiebat, ut scribit evangelista, ad Joannem, ut lavacro baptismatis tingueretur, se contulit.* Gregorius Nazianzenus, orat. 59: *Christus cum trigessimum ageret annum baptizatur.* S. Hieron. in c. 1 Ezech.: *Illud quoque intelligendum; quod trigesimo ætatis suæ anno Dominus ad baptismum venerit.* Idem docent Justinus in dialogo cum Tryphone, Clemens Alexandrinus, lib. 4 Stromatum, Chrysostomus, hom. super hæc verba: *Ecce edictum à Cesare Augusto;* et S. Thom., 5 p., q. 50, a. 5; qui omnes unanimiter asserunt quod Christus baptizatus sit anno ætatis suæ 30.

*Solventur argumenta.*

Obj. 1<sup>a</sup>: Licet Tiberius ab Augusto fuerit assumptus in socium seu collegam imperii, tamen ab eo tempore quo id contigit non possunt numerari anni ejus imperii; ergo textus Lucae 5, v. 1, nequit intelligi de anno 15 imperii proconsularis, sed intelligi debet de anno 15 imperii Augusti.

Prob. aut. Suetonius in Octavio, Tacitus in Annalibus, uterque Victor, Dio Cassius, lib. 58, et omnes penè antiqui historici numerant annos imperii Tiberii ab obitu Augusti; ergo inde etiam eos numerat S. Lucas; nam non est verisimile quod ipse posuerit aliud initium imperii quam omnes alii scriptores.

Resp. Neg. ant. et consequ. Quia S. Lucas scripsit ante illos scriptores, et consequenter illos non est secutus. Cum ergo clarissimè constet ex Tacito supra, § 1 citato, Tiberium assumptum fuisse in collegam imperii, et per omnes exercitus ostentatum; satis clarè patet S. Lucam potuisse uti epochâ imperii proconsularis, numerando annos Tiberii ab illo tempore, quo per omnes exercitus ostentatus, et in Judæâ imperator simul cum Augusto declaratus est.

Nec refert quod plurimi antiqui scriptores annos Tiberii numerent ab obitu Augusti; quia illi diù post S. Lucam scriperunt: nam Tacitus pervenit usque ad Domitianum, qui incœpit regnare anno 81; Suetonius similiter usque ad Domitianum; Aurelius Victor

(Vingt-sept.)

usque ad annum 561, scilicet usque ad Julianum postulatam; Josephus usque ad annum 76. S. Lucas vero, ut omnes communiter admittunt, scripsit suum Evangelium ante annum 89. Ad hoc non potuit consulere illos auctores, ut ipsorum epocham sequeretur.

Deinde inter historicos Romanos aliqui incipiunt annos imperii Augusti à morte Julii Caesaris, alii ab ejus primo consulatu anno sequenti, et alii à victoria Actiaca, in qua Antonium devicit, Quare ergo S. Lucas non potest annos Tiberii numerare ab illo anno quo factus est imperator simul cum Augusto?

Nec dicatur, duplicem illam epocham fuisse antiquis ignotam: nam Clemens Alexandrinus, qui vixit anno 200, lib. 1 Stromatum circa finem, recensens annos imperatorum, tribuit Tiberio 22 annos imperii et aliquot menses; postea autem secundum calculum aliorum historicorum, tribuit illi 26 annos, 6 menses et 19 dies. Ergo aliquid ejus temporis historici incipiunt imperium Tiberii ante obitum Augusti.

Denique ipsa Scriptura, ab eodem Dei Spiritu dictata, diversas ponit epochas regum Juda et Israel, quas nisi admisseris, difficultates solvere non poteris. Sic 4 Reg. 1, v. 17, dicitur Joram rex Israel coepisse regnare anno secundo Joram regis Juda; et ibidem, cap. 8, v. 16 dicitur Joram rex Juda auspiciatus regnum anno quinto Joram regis Israel: quae certè conciliari non possunt, nisi ponatur duplex epocha regni Joram regis Juda. Si igitur unus idemque scriptor diversas epochas habeat, à fortiori S. Lucas et historici profani possunt habere diversas.

Obj. 2: Evangelista Lucas non tantum meminit anni 15 imperii Tiberii, sed etiam addidit quod Pilatus modò procuraret Judaeam, quando Joannes incepit suum ministerium; atqui Pilatus non incepit procurare Judaeam, nisi ad summum anno 17 imperii proconsularis Tiberii; ergo S. Lucas non agit de anno 15 proconsularis imperii Tiberii.

Prob. min., quia imperium proconsulare Tiberii ad sursum duravit annis 27. Nam mortuo Augusto imperavit tantum ferè 25 annis; quibus si addas 4 annos, quibus juxta Graveson et nonnullos alios imperavit cum Augusto, exurgunt tantum ferè 27 anni. Jam verò Pilatus, teste Josepho, lib. 18 Antiq., cap. 5, tantum procuravit Judaeam 10 annis, et inde reversus comam invenit Tiberium jam mortuum; ergo non potuit esse praeses Judaeae anno 15 imperii proconsularis Tiberii; nam, si hoc anno praeses fuisset, non tantum 10, sed ferè 12 annis Judaeam procurasset.

Resp. Neg. min. Nam Pilatus anno 15 imperii proconsularis Tiberii, qui concurrebat cum anno 25 aerae vulgaris, procurasse Judaeam evincitur ex Josepho, qui, postquam, lib. 18 Antiq., cap. 5, dixit Pilatum, jubente Vitellio, Romam fuisse profectum, ut eoram Tiberio ad objecta sibi per Judaeos crimina responderet, confestim subdit, cap. 6, Vitellium venisse in Judaeam in festivitate paschali, et remisisse Judaeis totum vœgital fructum venalium, stolamque cum ornatu pontifici permississe à sacerdotibus custodiri. Porro Vitellius (ut probabilis censet Usseus in suis

Annalibus) Jerosolymam venit anno 55 aerae vulgaris; et cum Pilatus, teste Josepho, Judaeam tunc non amplius gubernaret, et tamen 10 annis gubernasset; illam haud dubie gubernare coepit anno 25 aerae vulgaris, qui concurrebat cum anno 15 imperii proconsularis Tiberii.

Nec obest quod Pilatus tantum Romam venerit anno 57 aerae vulgaris, quando jam Tiberius erat mortuus; quia, licet post 10 annos praefecturae, à Tiberio fuerit revocatus ob crimina, de quibus erat à Judaeis accusatus, non tamen eodem anno Romam pervenit: nam sibi malè conscius, facile potuit aliquas moras necere in Syria, vel in aliâ provincia, praesertim cum iter illud sit satis longum, et ipse Tiberius, ut ait Josephus, lib. 18 Antiq., cap. 8, esset in omnibus rebus suis cunctator, nec ulla negotia, maxime accusatorum, curare accelerari.

Obj. 3: Si Christus, dum ad baptismum venit, tantum inchoasset annum 50, non videtur satis aptè expressisse S. Lucas quod esset incipiens quasi annorum triginta. Non enim rectè dicitur esse aliquis, quasi triginta annorum, eò quod solum per 15 dies trigessimum annum inchoaverit; sed potius cum ad complementum trigimesimi anni pervenerit. Ergo melius videtur sentire illi qui asserunt quod Christus baptizatus sit anno aetatis suae 50 completo, et 51 per tredecim dies inchoato.

Resp. Neg. ant. Nam, ut bene reflectit Suarez, in 5 P., disput. 26, sect. 2, tam *quasi incipiens*, quam *quasi recessissimè* expressum est ab Evangelista. Si enim simpliciter dixisset Christum fuisse quasi annorum triginta, ambiguum maneret, essetne in initio, vel in medio, vel in fine illius anni. Additum ergo est participium *incipiens*, ad indicandum quod hoc sensu fuerit quasi *incipiens* annorum, ut annum 50 inchoaret. Et rursum, si ita simpliciter scriptum foret: *Erat incipiens annorum triginta*, existimari posset, vel saltem dubitari, an inciperet habere 50 annos completos; et ideo ad rem magis explicandam utraque vox addita est. Et hoc modo videtur intellexisse Theophylactus, apud quem ita legitur: *Et ipse Jesus incipiebat esse ferme annorum triginta*.

Obj. 4: Quod Christus baptizatus sit anno aetatis suae 50 completo, videntur docere antiqui Patres: siquidem id asserit S. Ignatius Martyr in Epist. ad Trallianos ita scribens: *Et expletis tribus annorum decedibus verè baptizatus est à Joanne*. Accedunt canones praescribentes *ne quis presbyter ordinetur, nisi triginta aetatis annos impleverit, quantum et Dominus trigesimo anno baptizatus est*. Ita canon 11 concilii Neo-Caesariensis, 17 Agathensis, 4 Cartaginensis III, et 20 Toletani IV. Consonat et antiquus ordo Romanus citatus ab Albino Flacco, de Off. eccles., cap. 6, necnon cap. Si quis, dist. 78; et cap. Cum in cunctis, de elect. et electi Potestate.

Resp. Neg. assumpt., quia ut reflectit nostri Berti, verba S. Ignatii ex Graeco ita verti debent: *Et triginta annos aetatis impleverit, quantum et Joanne verè*; non ut vertit olim Vairlenius Silvius: *Et expletis tribus annorum*

decadibus. Paginus in Apparatu, num. 151, observat haec verba legi quidem in Epistola S. Ignatii interpolata, à non in genuina. Et reverà non inveniuntur in Florentino codice edito ab Isacio Vossio. Exstant tamen in vetustissimo Vaticano, num. 859, et citantur ab auctore Chronici Alexandrini. Canon autem Neo-Caesariensis habet: *Presbyter ante triginta annorum aetatem non ordinetur*. Nec aliter habent Agathensis, ac Toletanus. In antiquo pariter ordine Romano legitur: *Expletis enim Christus quasi triginta annorum curriculum venit ad Jordanem, ut baptizaretur; non autem absolute, expletis*. Itaque ad antiquos canones Ecclesiae dicendum videtur quod illi quondam in promovendis ad presbyteratum, eodem sensu requisiverint annum aetatis 50, quo jam, juxta concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 12, requiritur vigesimus quintus. Jam autem juxta Tridentinum annus 25 non debet esse completus, sed tantum inchoatus: ergo et juxta canones praecitato annus 50 non debebat esse completus, sed solum inchoatus. Ex quibus concluditur quod istis canonibus nequaquam adverteretur, sed quam maxime consentiat sententia nostra, quae asserit Christum esse baptizatum anno aetatis suae 50 inchoato.

#### QUÆSTIO IV.

*Quo die et mense Christus baptizatus sit.*

Juxta S. Epiphanium, haeresi 51, Christus baptizatus est die duodecimæ mensis athir, id est, octavæ novembriæ. Verum, cum hæc Epiphanii sententia omnino singularis sit, et nullo prorsus fundamento nitatur, ab ea omnes communiter recedunt.

Resp. et dico: Juxta communem opinionem Christi baptizatus est die sextæ januarii. Et hæc est ferè unanimis traditio antiquorum à seculo secundo, ut videri potest apud Clementem Alexandrinum, lib. 1 Stromatum. Hinc Eusebius in Epistola ad Marinum apud Baronium ad annum Christi 51, num. 18, ait constare antiquissimâ traditione quod Christus baptizatus sit sextâ januarii.

Accedit Chronicon Alexandrinum, in quo, tomo 12 Bibl. PP., legitur: « Christus verus Deus noster in Jordane tinctus est die sextæ januarii mensis, quem admodum sine controversiâ eodem die catholica et apostolica Ecclesia in suo ipsius typo et duodecim Apostolorum suorum diem festum Luminum, sive Epiphaniæ Domini nostri Jesu Christi magni Dei et Salvatoris celebrare consuevit. » In codice item Regio apud Coteler., tomo 1 PP. apost., legitur: *Et cum esset annorum triginta, baptizatus est à Joanne, sextâ januarii mensis, hora septimâ diei*.

Idem etiam habet S. Hieron., in cap. 1 Ezech., ubi ita scribit: « Illud quoque intelligendum quod trigessimæ aetatis suae anno Dominus ad baptismum venerit, et est in annis primus exordii, præter Nisan mensis novorum, in quo pascha celebratur. Apud orientales enim populos post collectionem frugum et tentoria, quando decimas deferantur in templum,

« october erat primus mensis, et januaris quartus. « Quintam autem diem adjungit, ut significet baptismum, in quo aperti sunt Christi caeli; et Epiphanius « rum dies hucusque venerabilis est. » Nec obstat quod S. Hieron., loco mox citato, dicat diem Epiphaniæ celebrari quintâ mensis januarii: nam festivitates ex consuetudine vetustissimâ incipiunt et celebrantur à vespere præcedentis diei.

Petes an Christus in baptismo à Spiritu sancto sit unctus, sive novam gratiam acceperit.

Resp. negativè, quia certum est quod ab ipso puncto incarnationis, summâ ac perfectissimâ gratiâ, et Spiritus sancti christianibus, in tantum fuerit perfusus, quantum perfundi potuit. Hinc S. P. Aug., lib. 15 de Trin., cap. 26, ita scribit: « Unxit Christum « Deus Spiritu sancto, non utique oleo visibili, sed « dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo « baptizatus ungitur Ecclesia. Nec sane tunc unctus est « Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit: tunc enim corpus « suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus « est, in qua præcipue baptizati accipiunt Spiritum « sanctum; sed istâ mysticâ et invisibili unctione « tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei « caro factum est.... Absurdissimum est enim ut cre- « datur eum, cum jam triginta esset annorum (ejus « enim aetatis à Joanne baptizatus est), accepisse Spi- « ritum sanctum.... Si enim de famulo ejus et præ- « cursive ipso Joanne scriptum est: *Spiritu sancto « replebitur jam in utero matris suæ*, quoniam, « quamvis seminatâ à patre, tamen Spiritum sanc- « tum in utero formatum accepit; quid de homine « Christo intelligendum est vel credendum, ejus car- « nis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritualis fuit? » Item S. Gregor., lib. 9 Registri, epist. 61, ait: « Non ante conceptus, et postmodum unctus; sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concepi, à sancto Spiritu ungi fuit. »

Dices: Quod Spiritus sanctus Christum unxerit, dum in baptismo sub specie columbae super ipsum descendit, docent Patres Augustinus et Gregorius antiquiores. Etenim S. Athanasius, orat. 2 contra Arianos ita scribit: « Unctus est Dominus oleo lætitiae, « quod oleum Spiritum sanctum esse, per prophetam « (Isaiam cap. 61) exposuit: *Spiritus Domini super me, « et quod unxit me*. Quemadmodum et ab Apostolo « dictum est quod *Deus illum unxit Spiritu sancto*. « Quando igitur ista de eo pronuntiata sunt, nisi tum « cum in carne constitutus, baptizabatur in Jordane, « ac Spiritus in eum descendebat? » Item S. Hilarius, lib. 11 de Trin., ait: « Quemadmodum Spiritus Dei, et « virtute sit unctus Christus, non ambiguum est; tum « cum ascendente eo de Jordane, vox Dei Patris au- « dita est: *Filius meus es tu. Ego hodie genui te*. Ut « per hoc testimonium sanctificate in eo carnis, et « unctio spiritualis virtutis cognosceretur. » D. Hieron. in cap. 61 Isaiæ dicit: « Christi unctio illo « completa est tempore, quando baptizatus est in Jordane, « et Spiritus sanctus in specie columbae descendit su-

« per eum. » Idem habet Optatus Milevitanus, lib. 4 contra Parmenianum.

Resp. Neg. assumpt. Nam Patres illi nihil aliud volent significare quam quod Spiritus sanctus descenderit super Christum, non ut tunc ipsum ungeret, sed ut manifestaret, ipsum unctum illum esse, qui erat promissus Messias seu Christus, id est, Unctus. Siquidem ipsi dicunt quod tempore baptismi Christi de ipso pronuntiatur sit quod Deus eum unxerit Spiritu sancto; item quod ad hoc vox Patris audita sit, ut sanctificatio in eo carnis, et unctio spiritualis virtutis cognosceretur, etc. Per quæ nihil aliud insinuat quam quod tunc publicè omnibus adstantibus Deus significare voluerit illum, super cuius caput descenderat columba, esso promissum in lege Messiam.

#### QUESTIO V

*Quomodo aperti fuerint cæli, et an solus Christus apertus viderit.*

Resp. et dico 1<sup>o</sup>: Satis certum videtur quod celorum apertio non fuerit facta per realem partium et elementorum separationem.

Prob. 1<sup>o</sup> quia hoc naturaliter fieri non potuit, quandoquidem hoc modo sit impossibile. Deinde nec etiam supernaturaliter factum esse; inde liquet, quod tam inusitatum miraculum nec fuerit tunc necessarium, nec verba Scripturæ cogant, ut id adstruamus.

Prob. 2<sup>o</sup> ex S. Hieron. in cap. 5 Math. dicente: *Aperti dicuntur cæli, non reservatione elementorum, sed spiritualibus oculis.* Idem docet D. Thom., 3 p., q. 29, a. 3, ad 2, ubi ita habet: « Dicendum quod, sicut Hieron. dicit super Matth., cæli aperti sunt Christo baptizato, non reservatione elementorum, sed spiritualibus oculis, sicut et Ezechiel in principio voluminis sui cælos apertos esse commemorat. Et hoc probat Chrysost. super Matth., dicens: Quod si ipsa creatura, scilicet celorum, rupta fuisset, non dixisset, « aperti sunt ei; quia quod corporaliter aperitur, omnibus est apertum. » Interim

Dico 2<sup>o</sup>: Existendum tamen est apertionem cæli fuisse omnibus conspicuam: nam in ipso aere, qui frequenter in Scripturâ solet vocari cælum, altissimus hiatus, magno splendore circumfusus, patefactus est, ut in intaenibus eorum videretur apertum. Ex isto autem hiatus columba descendit, et vox Patris audita est.

Probat, quia, ut constat ex S. Lucæ, cap. 5: *Spiritus sanctus descendit corporali specie; adeoque specie ab omnibus visibili.* Et Joan. 1, v. 32, Joannes Baptista dicit se vidisse Spiritum descendentem quasi columbam de cælo. Ergo verisimile est quod sicut columba fuit visibilis, ita etiam visibilis fuerit apertio cæli, et vox Patris audita perceptibilis; maxime cum illa facta sint ad testificandum quod Christus esset filius Dei, et verus Messias. Si enim solus Christus illa vidisset et audivisset, nullum de ipso testimonium datum fuisset. Vide quoque dicentur infra, quæst. 7.

Obj. 1<sup>o</sup>: Joannes Baptista, cum audisset in vinculis

opera Christi, misit duos ex discipulis suis, per quos jussit peti: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Math. 11, v. 3. Ergo non viderat columbam, nec audiverat vocem Patris: nam alias non debuisset à Christo petere utrum ipse esset Messias, sed hoc satis scivisset.

Resp. Neg. conseq. Quia Joannes hoc non jussit peti, quasi ignorans, sed ut discipulos suos, qui adhuc dubitabant an Christus esset verus Messias, in fide institueret ac firmaret, et Christo adjungeret.

Obj. 2<sup>o</sup>: Matthæus, c. 5, v. 26, de Christo jam baptizato dicit: *Et ecce aperti sunt cæli.* Item Marcus, cap. 1, v. 10, ait: *Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos, et Spiritum tanquam columbam descendentem.* Ergo solus Christus vidit cælos apertos; et consequenter fuit tantum imaginaria vel intellectualis visio, nullaque facta est mutatio, vel ostensio in objectis sensibilibus.

Resp. Neg. conseq. Nam ex eo quod evangelista dicant Christum vidisse cælos apertos, nequaquam sequitur alios non vidisse. Unde sicut Marcus, dum dicit Christum vidisse columbam, non insinuat ipsum solum eam vidisse; ita etiam, dum dicit illum vidisse cælos apertos, haudquaquam significat, solum Christum eos apertos vidisse. Nec etiam Matthæus id ullo modo insinuat; quia illud: *Aperti sunt ei*, tantum denotare videtur quod cæli speciali se singulari modo aperti fuerint ei qui baptizabatur; et quod nimirum aliis propter Christum, id est, in ejus gratiam et honorem cæli visi sint aperti. Unde hic applicari potest illud, quod habet D. Thom. 5 p., q. 59, a. 5, O, ubi ait: *Signanter Matth. 5 dicitur quod apertum est ei cælum; id est, omnibus propter eum, sicut si imperator alicui pro aliis petenti dicat: Ecce, hoc beneficium non illi do, sed tibi, id est, propter te illi.*

Inst. D. Thomas manifestè docet quod cæli fuerint aperti ad visionem imaginariam; ergo non fuerunt à parte rei visibiles, nec fuit ibi à parte rei aliquis hiatus.

Prob. ant., quia loco jam citato ad 2, ita habet: « Potest etiam referri ad imaginariam visionem, per quem modum Ezechiel vidit cælos apertos. Formabatur enim ex virtute divinâ et voluntate rationis et talis visio in imaginatione Christi, ad designandum et quod per baptismum cæli aditus hominibus aperitur. Potest etiam ad visionem intellectualem referri, prout scilicet Christus vidit jam baptismum et sanctificatio apertum esse cælum hominibus, quod tamen etiam ante viderat fiendum. » Idem etiam patet ex verbis S. Chrysostomi, supra, prob. 2, à D. Thomâ citatis, quæ clarè insinuant cælos esse apertos soli Christo.

Resp. Neg. ant., et ad ejus probationem dico quod mens S. Thomæ non debeat colligi ex responsione ad secundum; siquidem, ut insipienti textum satis patet, ibidem tantum refert variorum opiniones, non mentem suam aperte declarat. Ad id verò quod additum est ex S. Chrysostomo, à D. Thomâ citato, dico

textum illum esse desumptum ex Opere imperfecto in Matthæum, quod opus non est S. Chrysostomi; uti probat Bellarminus, lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, Observatione in opera S. Chrysostomi.

#### QUESTIO VI

*Utrum fuerit vera columba, quæ descendit super Christum.*

Matthæus, cap. 5, v. 16, ita habet: *Jesus... vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se.* Marcus, cap. 1, v. 10, dicit: *Vidit... Spiritum tanquam columbam descendentem, et manentem in ipso.* Lucas, cap. 5, v. 22, ait: *Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.*

Tertullianus, agens de modo quo Spiritus sanctus descendit super Christum, lib. de Carne Christi, cap. 5, dicit: *Spiritus tam verè erat columba quam spiritus; nec interfecerat substantiam propriam, assumptâ substantiâ aliâ.* Ex quibus verbis si quis velit inferre quod juxta Tertullianum Spiritus sanctus assumpsit columbam in unitatem personæ seu suppositi, dicendum est quod Tertullianus id non adeo aperte dicit; et etiamsi aperte diceret, aperte refutandum esset: nam contrarium docet S. Chrysost., hom. 15 in Matth., S. P. Aug., tract. 99 in Joan., et D. Thom., 3 p., q. 29, a. 6 et 7.

Deinde nulla erat ratio cur Spiritus sanctus assumeret columbam in unitatem suppositi. Aliud omnino est de Christo; quia, cum Deus vellet hominem redimi per satisfactionem in rigore justitiæ, necesse fuit ut aliqui persona divina assumeret naturam humanam in unitatem personæ. Unde D. Th., 1 p., q. 45, a. 7, ad 4, dicit: *Non oportuit quod creatura visibilis ad hoc formata, esset assumpta à Spiritu sancto in unitatem personæ, cum non assumeretur ad aliquid agendum, sed ad indicandum tantum.* Ad questionem propositam

Resp. et dico: Columba quæ descendit super Christum, non fuit similitudo columbæ, sed vera columba. Probat, quia hæc est aperta sententia S. P. Aug., lib. de Agone Christiano, cap. 22, ubi ita scribit: « Ambo illa corpora (id est, corpus Christi et corpus columbæ) vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat ut homines falleret Filius Dei, sic non decebat ut homines falleret et Spiritus sanctus; sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam ex nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbæ sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut non fuit ei difficile verum corpus ex utero Mariæ sine virili semine fabricare; cum creatura corporea, et in visceribus femine ad formandum hominem, et in ipso mundo ad formandum columbam imperio Domini voluntate serviret. »

Idem etiam docet S. Thom., 5 p., q. 59, a. 7, O, ubi ait: « Dicendum quod non decebat, ut Filius Dei, qui est veritas Patris, aliqua fictione uteretur; et idè non phantasticum, sed verum corpus acciperet. Et quia Spiritus sanctus dicitur Spiritus veritatis, ut patet Joan. 16, idè etiam ipse veram columbam formavit, in quâ appareret, licet non as-

sumeret ipsam in unitatem personæ. »

Obj. 1<sup>o</sup>: Omnes evangelistæ addunt particulam similitudinis *sicut, quasi, tanquam*: ergo non fuit vera columba, sed tantum similitudo columbæ. Et hoc evidentiùs patet ex Lucâ, qui dicit quod Spiritus sanctus descenderit *corporali specie sicut columba*: hæc enim verba satis clarè indicant, quod corporalis illa species non esset vera columba, sed quod esset similis columbæ. Unde etiam antiqui Patres, Justinus in Dialogo cum Tryphone; Tertul., lib. de Baptismo, cap. 8; Irenæus, lib. 5, cap. 19; Epiphanius hæresi 62, asserunt, speciem seu figuram columbæ apparuisse.

Resp. Neg. conseq., et dico cum D. Thomâ, a. præcit., ad 1: *Spiritus sanctus dicitur descendisse in specie, vel similitudine columbæ, non ad excludendum veritatem columbæ, sed ad ostendendum quod ipse non apparuit in specie suæ substantiæ.* Idè igitur unice addita videtur particula similitudinis, ut insinuetur Spiritum sanctum non apparuisse in specie suæ substantiæ, quæ invisibilis est, vel non assumpsisse columbam in unitatem personæ.

Quòd autem hæc vera ac genuina sit Scripturæ et SS. Patrum mens, patet ex S. Chrysost., hom. 12 in Matth., ubi dicit: « Quid igitur ad talia responderi potest? nisi quod Filius quidem Dei naturam hominis suscepit, Spiritus verò sanctus non assumpsit naturam columbæ; idcirco evangelista non « in natura, sed in specie columbæ dixit. » Similiter etiam loquitur S. Aug., lib. 2 de Trin., cap. 6: « Non sic est assumpta creatura illa, in quâ appareret Spiritus sanctus, sicut assumpta est caro illa, et humana forma ex Virgine Mariâ. Neque enim columbam beatificavit Spiritus sanctus, sibi que et personæ suæ in unitatem habitumque conjunxit in æternum; sed apparuit columba, sicut opportunè apparere debuit, creaturâ serviente Creatori. »

Licet igitur ex verbis Evangelistarum, solitarie spectatis, non satis clarum sit quòd vera columba apparuerit; eò quòd nimirum ambiguum sit, ob quam causam addita sit particula similitudinis *sicut*; tamen quia SS. Patres, ut jam vidimus, dicunt eam idè additam esse ut insinuetur Spiritum sanctum non assumpsisse columbam in unitatem personæ, sicut Filius assumpsit naturam humanam; et consequenter non posse dici quòd Spiritus sanctus sit columba, sicuti tamen verè dicitur quòd Filius sit homo; nos in hæc parte adherendum esse existimamus SS. Patribus. Nam hos sequi oportet, dim sensus S. Scripturæ est ambiguus. Negandum igitur est quòd in textu S. Lucæ idè addita sit particula *sicut*, ut designetur, corporalem illam speciem, in quâ Spiritus sanctus apparuit non fuisse veram columbam; sed addita est ne aliquis putaret, quòd ipse Spiritus sanctus foret columba.

Inst. S. Ambros., lib. 4 de Sacramentis, cap. 3, ait: *Non columba descendit, sed quasi columba... Spiritus sanctus in specie columbæ, non in veritate columbæ, sed in specie columbæ descendit.* Ergo saltem juxta hunc Ecclesiæ doctorem particula similitudinis *quasi*

addita est ab evangelistâ, ut designetur non fuisse veram columbam.

Resp. Neg. consequ., et dico S. Ambrosii loqui conformiter ad alios Patres, scilicet quod evangelista dicit: *Quasi columba*, quia Spiritus sanctus non descendit in veritate columbe, tanquam ipse isto tempore esset vera columba, sed tantum sub specie veræ columbe: è contra verò Verbum divinum non descendit in aquam sub specie hominis, aut quasi homo, sed in veritate hominis, quia erat verus homo. Unde verba Ambrosii integra sunt hæc: « Et ecce quasi columba Spiritus sanctus descendit. Non columba descendit, sed quasi columba. Memoro quod dixit: *Et* Christus carnem suscepit non sicut carnem, sed carnis istius veritatem. Verè carnem Christus suscepit: Spiritus autem sanctus in specie columbe hæc non in veritate columbe, sed in specie columbe descendit de celo. »

Obj. 2<sup>o</sup>: Lib. Tobie, cap. 5, v. 5, dicitur: *Tunc egressus Tobias invenit juvenem splendidum* (scilicet Raphaelem archangelum) *stantem præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum.* Item ibidem, v. 15: *Cui ait juvenis: Forti animo esto, Tobias, in proximo est ut ad Deo curris.* Atqui Scripturâ ibi non addit aliquam particulam similitudinis, et tamen non vult dicere, quod Raphael apparuerit in specie suæ substantiæ, vel quod à parte rei fuerit pulcher juvenis: ergo solutio supra data non subsistit, nempe quod Evangelistæ addant particulam similitudinis ad ostendendum quod Spiritus sanctus non apparuerit in specie suæ substantiæ, vel quod ipse non fuerit columba; sed dici debet, quod eam addant ad designandum, quod super Christum non apparuerit vera columba, sed tantum species columbe.

Resp. Neg. consequ., quia etsi Scripturâ non semper addat particulam similitudinis; equidem dum eam addit, certius significat, personam, de qua agit, non apparuisse in specie propria substantiæ. Deinde hic est alia omnino causa, cur debeat addi particula similitudinis, quia nimirum Christus poterat videre Spiritum sanctum in specie propria substantiæ, Tobias vero non poterat videre angelum in propria specie. Debeuerunt igitur Evangelistæ addere particulam similitudinis, ut significarent Spiritum sanctum non apparuisse Christo in propria specie, sed in alienâ.

Obj. 3<sup>o</sup>: Ratio ob quam S. Aug. et D. Thom. asserunt non tantum speciem columbe, sed veram columbam apparuisse, nullo modo convincens est, nec subsistit, ergo, etc.

Prob. ant. Quia etiam non fuisset vera columba, nulla fuisset fallacia, in representatione Spiritus sancti: nam, sicut nullâ usus est fallacia, dum descendit sub specie linguarum dispersitarum, tanquam ignis, in Pentecoste, Act. 2, quamvis ibi non fuerit veræ linguæ, aut verus ignis; sic etiam hic nullâ usus fuisset fallacia, quantum non fuisset vera columba.

Resp. Neg. ant. ejusque probationem, quia volebat Spiritus sanctus sub specie columbe dare testimonium, quod ipse esset in veritate Spiritus sanctus,

et Christus Filius Dei; testimonium autem suæ veritatis, et suarum operationum voluit dare per proprietates columbe: si ergo tantum assumpsisset corpus columbe falsum sive phantasticum, aut tantum imaginarium, etiam tantum ostendisset falsas aut imaginarias proprietates, adæque etiam tantum fallaciter probasset quod Christus sub formâ veri hominis esset verus Deus, ex eo quod ipse sub formâ columbe tantum imaginariæ esset verus Deus. Cùm igitur Spiritus sanctus voluerit ostendere seu testificari, veritatem naturæ humanæ in Christo non officere ejus divinitati, sicut veritas naturæ columbinæ non officiebat suæ divinitati, ut hoc sine fallaciâ monstraret, debuit ipse vultu apparere sub formâ veræ columbe, ac Filius apparuit sub formâ veri hominis: unde si ibi non fuisset vera columba, demonstratio illa fuisset falsa.

Aliud est de linguis igneis, et nonnullis aliis apparitionibus, in Scripturâ expressis; quia ille non sunt factæ ad probandum veritatem alicujus corporis, sed nunc ad significandum aliquid, vel operandum; ad quod indifferens est an operatio fiat sub specie tantum, an sub verâ formâ alicujus corporis. Unde, cùm in Pentecoste apparuit sub specie linguarum, tantum facta sit ad significandum dona Spiritus sancti, indifferens fuit an ibi fuerit veræ linguæ, et verus ignis, an verò tantum ignis et linguæ apparentes.

#### QUESTIO VII.

*Quænam fuerit vox Patris, et an miracula in Baptismo Christi facta, ab adstantibus fuerint visa.*

Matthæus, cap. 3, v. 17, dicit, de celo sonuisse hanc vocem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.* Sed Marcus et Lucas dicunt sonuisse istam vocem: *Tu es Filius meus dilectus*, etc. Circa hæc oritur dubium an Matthæus referat præcisè verba, sicut dicta sunt, an verò alii duo? Cajetanus et nonnulli alii putant sonuisse illam quam referunt Marcus et Lucas.

Attamen probabilior est sonuisse illam quam refert Matthæus: nam verisimile est, eodem modo locutum fuisse Deum Patrem in baptismo, sicut in transfiguratione: atqui in transfiguratione, testibus Matthæo, c. 17; Marco, cap. 9; Lucâ, cap. 9; et S. Petro, Epist. 2, cap. 1, sonuit hæc vox: *Hic est Filius meus*, etc.; ergo et eadem sonuit in baptismo. Unde Marcus et Lucas videntur tantum retulisse vocem Dei Patris quoad substantiam verborum, non verò prout à parte rei insonuit. Interim propterea nulla est inter Evangelistas contradictio; quia, licet non eandem locutionem retulerint, eandem tamen retulerunt sententiam; ut observat S. P. Aug., lib. 2 de Cons. evang., cap. 14.

Porro omnia quæ in baptismo facta sunt, ab adstantibus fuerunt percepta, et vox intellecta:

Prob. 1<sup>o</sup> quia hæc omnia facta sunt in testimonium divinitatis Christi: atqui non Christus, sed adstantes debebant hoc credere; ergo. Illic

Prob. 2<sup>o</sup> ex Patribus. Dicit enim Chrysost., hom. 12 in Matth.: *Columba idèò apparuit ut extenti quodam*

*modo digiti vice, Dei Filium Joanni caterisque monstraret.* Item: « Venit Spiritus sanctus in specie columbe, et vocem traxit ad Filium, cunctisque fecit esse perspicuum, quia istud quod ait: *Hic est Filius meus dilectus*, non de Joanne Baptistâ, sed de Filio baptizato debet intelligi. » S. Hieron., in cap. 3 Matth., ait: *Sedit columba super caput Jesu, ne quis putaret vocem Patris ad Joannem factam, non ad Dominum.* S. Hilarius, can. 2 in Matth., ita scribit: *Filius Dei auditu conspectuque monstratur, plebique infidæ et prophetis inobediens testimonium de Domino suo mittitur et contemplationis et vocis.* S. P. Aug., lib. 2 de Cons. evang., cap. 14, de voce Patris habet sequentia: « Quod Matthæus ait dictum: *Hic est Filius meus dilectus*, et alii duo dicunt: *Tu es Filius meus dilectus*, et ad eandem sententiam explicandam valet... Vox enim celestis unum horum dixit, sed evangelista ostendere voluit ad id valere quod dictum est: *Hic est Filius meus*, ut illis potius qui audiebant indicaretur quod ipse esset Filius Dei; atque ita dictum a referre voluit: *Tu es Filius meus*, ac si diceretur illis: *Hic est Filius meus.* Non enim Christo indicetur hanc quod sciebat, sed audiebant qui aderant, propter quos etiam ipsa vox facta est. »

Obj. 1<sup>o</sup>: Dicit evangelista Joannes, c. 1, v. 52: *Testimonium perhibuit Joannes, dicens: Qui vidi Spiritum descendentem quasi columbam de celo, et mansit super eum.* Atqui, si hoc omnes vidissent, Joannes Baptistâ non debuisset dare testimonium, sed potius debuisset dicere: *Vos ipsi vidistis*; ergo præter Christum solus Joannes vidit columbam.

Resp. Neg. min. et consequ., quia Joannes non dedit illud testimonium illis qui viderant Christum baptizari, sed aliis qui non viderant, nec in baptismo Christi fuerant presentes: nam illud testimonium, ut ibidem, v. 29, patet, dedit *alterâ die*, id est, postridiè istius diei, quod satisfecerat legationi Judæorum.

Obj. 2<sup>o</sup>: Si Judæi vocem Dei Patris audivissent, certò Christum credidissent esse Messiam; atqui tamen hoc non crediderunt; ergo. Deinde Christus ipsemet dicit Judæos sui temporis vocem Patris nunquam audivisse: sic enim loquitur Joan. 5, v. 57: *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me* (scilicet in baptismo), *neque vocem ejus audistis, neque speciem ejus vidistis.* Ergo vocem illam Patris prope Jordanem prolatum non audiverunt.

Resp. cum S. Chrysost., hom. 12 in Matth. « Cur non crediderunt cùm talia fierent? Quia etiam sub Mose multa edita sunt miracula, licet non his similia, tamen post omnia illa, nempe voces, tubas et fulgura, etiam vitalium constârunt, et Boelphégoro initiati sunt... Ne igitur quaras quomodo non crediderunt; sed illud require an non omnia facta sint quæ ipsis fidem facere jure debeuerint. » Ita S. Chrysostomus. Et sanè plurima alia facta sunt à Christo, et tamen ipsi non crediderunt, et nequidem quando milites custodes sepulcri dicebant, ipsum verè resurrexisse. Hujus autem rei sola causa est Judæorum pertinax malitia. Deinde etiam dato quod Judæi,

qui in baptismo presentes erant, tunc quidem magnam de Christo opinionem conceperint, qualem miracula postulabant, illam tamen in passione amiserunt. Interim non videtur negandum quod aliqui, licet pauci, ex Judæis, qui vocem Dei Patris audiverant cateraque miracula viderant, Christum verum esse Messiam crediderint.

Ad illud verò quod Christus ipsemet dicit Judæos sui temporis vocem Patris nunquam audivisse, sciendum est quod Israelite in deserto, Exodi 20, v. 19, audita voce Domini, nimio terrore perterriti, petiverint, ne Dominus ipsis loqueretur per se, nec amplius ipsum viderent in tanto igne, sed ut loqueretur illis per prophetam, qui promiserunt se credituros. Deus conditionem admisit, et promisi se suscitaturum prophetam, scilicet Christum, cui, juxta hoc pactum, essent credituri, aliàs puniendi. Totum hoc constat ex Deuter. 18, v. 15, ubi dicit Moyses: *Populatum* (id est, Messiam), *ut palea ex Act. 5, v. 29) de gente tuâ et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.* Et ait Dominus mihi: *Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similitum tui; et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia que præcepero illi. Qui autem verba ejus que loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego altor existam.* Aluid igitur Christus ad illud ipsorum pactum, cum Deo initum, exprobrando quod illud non observent. Unde sensus est hic: *Illam terribilem Dei vocem nunquam audistis, neque etiam terribilem ejus speciem nunquam vidistis, adæque Deus ex stâ parte pactum vobiscum initum observavit; sed vos illud infringistis, quia Deus Pater testimonium perhibuit de me in baptismo, quod ego sim ille propheta, et tamen mihi non vultis credere, etc.* Ita hunc locum explicant Toletus, Menochius, et Jansenius.

#### CAPUT VIII.

Christus post baptismum secessit in desertum, et ibi quadraginta diebus jejunavit; deinde tentationes diaboli viciit, et post tentationes superatas angeli ad eum accesserunt, eique ministrarunt. Matth. 4, v. 1 usque ad 11; Marci 1, v. 12 et 13; Lucæ 4, v. 1 usque ad 11.

#### QUESTIO PRIMA.

*A quo, et in quem finem Christus sit ductus in desertum.*

Matthæus cap. 4, v. 1, dicit: *Tunc Jesus ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Per *es* tunc significatur, quod illud factum esse immediate post baptismum in desertum ductus fuerit. Unde Marcus, cap. 1, v. 12, ait: *Et statim spiritus expulit eum in desertum.* Et Lucas, cap. 4, v. 1: *Jesus autem plenus spiritu sancto, regressus est à Jordane, et agebatur à spiritu in desertum.* Unde omninò verisimile est quod Christus eadem die, scilicet sextâ januarii quâ baptizatus est, actus sit à spiritu in desertum, eademque